NONNULLA DE ANGINAE MEMBRANACEAE HISTORIA ET PATHOLOGIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROL. LEOPOLDUS WIPPRECHT

THURINGUS.

OPPONENTIBUS:

E. SCHMIDT, MED. ET CHIR. DR.
F. HAMMER, MED. ET CHIR. DD.
C. BREITHAUPT, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO,

IMMAN. GUIL. WIPPRECHT,

proximis his saeculis exortus. *Michaëlis* (2) in libri sui sectione prima: »Primam, inquit, morbi notitiam apud *Tulpium* inveniri arbitror.« *Curtius Sprengel* (3) et *Berends* (4) ejus originem e saeculi decimi septimi media parte deducunt, alii, ut *Crawford* (5), *Sachse* (6) et *Goelis* (7) nobis persuadere student, anginae membranaceae vestigia jam in *Hippocratis* scriptis inveniri.

Quae cum ita sint, ab antiquissimis medicinae heroibus exordiar et paucis verbis ea proferam, quae nonnulli pro anginae nostrae descriptione habent. —

Quamquam *Hipprocrates* multis in locis scriptorum suorum de variis anginae speciebus tractat, nihilo minus tamen nullus reperiendus, ex quo jure dijudicari possit, eum anginam membranaceam observasse et descripsisse. Nam in Aphorismis (8) et in Praenotionibus (9),

---

(2) Michaëlis, Chr. Fridr., de angina polyposa seu membranacea. Goetting. 1778. p. 5.

(3) C. Sprengel, Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde. Halle 1828. Tom. V. Pag. 534.

(4) Berends, Car. Aug. Guil. Opera posthuma ed. et praefat. est a Stosch. Berl. 1830. Tom. II lectiones in Hippocratis aphorismos p. 456,

(5) Crawford, dissertatio de angina stridula. Edinbg. 1771.

(6) Sachse, Wilh., das Wissenswürdigste über die haeutige Braeune. Lübeck 1810. Tom. I. p. 234.

(7) Goelis, A., tractatus de rite cognoscenda et sananda angina membranacea. Viennae pag. 157.

(8) Hippocratis opera omnia ex edit. Foesii. Genev. 1657. Aphorism. V. 10. Quibus ex angina liberatis, ad pulmonem malum vertitur, ii inter dies septem intereunt; si tamen hos dies evaserint, suppurati fiunt.

(9) Praenotion. edit. Foesii pag. 175. Quibus vero angina in pulmonem convertitur, hi septem diebus liberantur, qui vero

anginam trachealem, in libris de morbis (10), faucium tantum pharyngisque inflammationem descripsisse mihi videtur. — Haec vero, quae in Praenotionibus (11) inveniuntur verba: »Angina gravissima quidem est, et celerrime interimit, quae neque in faucibus neque in cervice quidquam conspicuum facit, plurimum vero dolorem exhibet, et difficultatem spirandi, quae erecta cervice obitur, inducit,« utque haec (12): »Anginae, in quibus neque in collo neque in faucibus quidquam apparet, sed quae vehementem suffocationem et respirandi difficultatem ferunt, eadem seu tertia die necant,« sine dubio ad tracheitidem muscularem seu siccam (13) referenda sunt. — Alio in Praenotionum loco (14) membranacearum concretionum excretionem commemoratam esse putabat *Goelis* (15), ea legens: »Sputa ex angina viscida, crassa, exalbida, vi educta malum denuntiant, omnisque ejusmodi maturatio mala est.« Quae quidem sententia strictim intuentibus maxime laudabilis videri poterit; aliam

---

dum anginam effugiunt, suppurati facti sunt, ne exstante iis tumore inflammatorio.

(10) de morbis edit. Foesii. Lib. II. pag. 470. At si faucibus et tumoribus sedatis morbus ad pulmonem versus fuerit, confestim febris et lateris dolor insuper corripit, et ubi hoc contingit, plerumque moritur. Quod si dies quinque effugerit, purulentus evadit, nisi ipsum confestim tussis corripuerit, excreato et repurgato sputo convalescit.

(11) Prognosticon edit. Foesii pag. 45.

(12) Praenotion. edit. Foesii pag. 175.

(13) Sachs, l. l. Tom. I. pag. 131. Goelis l. l. p. 54.

(14) Praenotion. edit. Foes. pag. 176.

(15) Goelis l. l. p. 157.

vero sententiam, quae in Praenotionibus (16) et in libris de morbis (17) scripta est, in auxilium vocantes, vere judicabimus: aut faucium aut tonsillaris anginae crisin illis verbis eum describere voluisse, quod eo magis apparet, quo magis illae salivae crassae, viscidaeque ab membranis tubuliformibus in angina membranacea laryngi tracheaeque inhaerentibus distant. Quibus ex rebus patet, nullum in *Hippocratis* scriptis inveniri locum, qui jure meritoque ita interpretari possit, ut, anginam membranaceam ei cognitam atque, ne obscure quidem, ab eo descriptam esse, appareat. Eoque magis nobis constat, illi ignotam fuisse anginam membranaceam, quod tanta diligentia cetera anginae genera descripserit, hujus vero signa pathognomonica omnia omiserit.

In *Corn. Celsi* (18) de medicina libris octo exstat, apud Graecos varia anginae genera verbis: κυναγχη, συναγχη et παρασυναγχη significata fuisse, nostri autem morbi nullam mentionem factam esse. —

Aretaeus Cappadox (19) de duobus anginae generibus verba facit. Hic vero claris verbis laryngis tracheaeque inflammationem et anginam gangraenosam designat.

---

(16) Praenotion. edit. Foes. pag. 176: Angina laborantes, nisi celeriter cocta exspuant, perniciose habent.

(17) De morbis edit. Foes. Lib. II. p. 469. Fauces interiores saliva viscida implentur, neque excreare potest neque decubitum sustinet, sed si decumbat, suffocatur.

(18) Celsus, Corn., de medic. libr. octo, edit. Chr. Krause. Lips. 1766. Lib. IV. Cap. IV.

(19) Aretaeus Cappadox de morb. acut. et diuturn. cum comment. auctore G. Heinisch. Aug. Vindel. 1603. Lib. I. cap. 7. p. 7. seq. et lib. I. cap. 9. p. 12.

Galenus Pergamus quinque anginae genera (20) pertractat, et discrimen inter cynanchen et peripneumoniam pleuritidemque (21) optime denotat, nihilo minus tamen hic nostram anginam, ne obscure quidem, commemorat. Alius tamen apud hunc locus exstat, ex quo conjici poterit, morbum nostrum ab illo observatum esse; quem ita interpretatus est *Kuehn* (22): »At sane in adolescentulo, qui tussiendo tunicam crassam viscosamque exspuerat, conjecimus, internum esse gutturis corpus, quod epiglottida constituit. Itaque sanatus est adolescentulus, non admodum sperantibus nobis, mansit tamen vero vox vitiata.« Vix ac ne vix quidem hoc ipso ex loco censeri poterit, qualis morbus sit, quem his verbis descripturus fuerit autor. Si vero integrum librum primum et libri quarti caput primum de locis affectis perlegerimus, plures nobis loci occurrent, in quibus *Galenus* similia atque in loco supra cemmemorato, protulerit, et ex quibus satis manifeste elucebit, se varia phthiseos genera ante oculos habuisse. Cur non credamus, adolescentulum nostrum phthisi laryngea tentatum fuisse? — Quid quod ea laborantes partes cartilagineas seu membranaceas maxime diversas exspuant, dum membranae in angina membranacea formatae plerumque tubuliformes sunt et laryngis tracheaeque formam aequant? Videtisne quotidie in phthisin laryngeam prae ceteris adolescentes, infantes vero in anginam membranaceam incidere, neque

(20) Galeni Opera omnia, quae exstant. Ed. cur. Kuehn. Lips. 1821—1828. De locis affectis Vol. VIII. lib. IV. p. 248 et 249.

(21) ibid. Vol. VIII. Lib. IV. pag. 247.

(22) ibid. Vol. VIII. Lib. I. pag. 3.

dicit autor, adolescentulo sanato vocem vitiatam remansisse, quod multo melius quoque phthisi laryngeae congruit, quam anginae nostrae? — Quae cum ita sint, denegabo quoque, anginam nostram *Galeno* notam et ab eo descriptam fuisse. —

A *Galeni* tempore usque *Ballonii* (23) (1570) nihil memoria dignum, quod spectet ad anginam membranaceam invenimus. *Caelius Aurelianus* (24) asthmatis, *Forestus* (25) anginae gangraenosae, *Nicol. Piso* (26) anginae inflammatoriae, *Pasquier* (27) febris catarrhalis epidemice grassantis, descriptionem publici juris fecerunt, nec anginam nostram observarunt, ut *Crawford* (28) *Aureliano*, *Sachse* (29) *Foresto*, *Zickner* (30) *Pisoni*, *Wichmann* (31) et *Jahn* (32) *Pasquiero* tribuunt.

Prima anginae membranaceae vestigia haud dubio

---

(23) Ballonius nat. 1538. mort. 1616.

(24) Cael. Aurelianus, de morb. acut. et chronic. Lib. VIII ex recens. Conr. Ammanni. Amstelod. 1766. Lib. III. pag. 429. — conf. Goelis l. c. p. 157. Aureliani asthmatis descriptio valde incompleta nihil anginae membranaceae simile prae se fert.

(25) Forestus, observationum et curationum med. libr. duo. Lugd. Batav. 1596.

(26) Nicol. Piso de cognosc. et curand. corporis human. morbis. Batav. 1736. Lib. II. pag. 135.

(27) Recherches de la France d'Estienne Pasquier. 1621 Libr. IV. Cap. XXVIII. pag. 411.

(28) Crawford l. c. pag. 127.

(29) Sachse l. c. pag. 235.

(30) Zickner, dissert. de angina membr. Berol. pag. 4.

(31) Wichmann, Ideen zur Diagnostik 1801. Tom. II. pag. 125.

(32) Jahn, Kinderkrankheiten 1805. pag. 482.

apud *Ballonium* (33) reperimus, qui his fere verbis casus nonnullos, perspicuam hujus morbi descriptionem praebentes, enarrat: »Quatuor aegroti respirandi difficultate premebantur cum levi febre. Nulla erat tussis nec sputum, sed spiritus frequens et parvus, usque ad obitum.« In adnotationibus ad istum locum ea leguntur (34): »His ista difficili spiratione et morbo ignoto sublatis, chirurgo (ignoto) dissectioni anatomicae traditis, inventa est pituita lenta, contumax, quae, instar membranae cujusdam, arteriae asperae erat obtenta, ut non esset liber exitus et introitus spiritui externo; hinc suffocatio repentina.« *Ballonii* quidem descriptio parum apta et accurata est, ut vix ac ne vix quidem morbi hujus imago plane diagnosci possit (35), nisi cadaveris dissectio extra omnem, ni fallor, dubitationem posuisset, epidemiam anginae membranaceae tum in sobolem Gallicam saeviisse.

Ad autores, qui post *Ballonium* scripserunt, transeuntes, longo posthac intervalloquod mirum videbitur, — morbum nostrum nullibi unquam commemoratum videmus; *Rhodius* (36) de phthisi seu gangraena tracheali et *Horstius* (37) de asthmate atque angina inflammatoria

---

(33) Ballonii epidemiarum et ephemeridum libr. duo. Paris. 1640. Lib. II. pag. 197.

(34) adnotat. 7. pag. 201.

(35) Ob parum aptam et accuratam morbi descriptionem C. Sprengel l. c. Tom. V. pag. 423 quoque scripsit: Die Geschichte von den achtjährigen Epidemien (1570 — 1578) ist auf keine Weise des Beifalls der unpartheilichen Nachwelt werth, etc.

(36) J. Rhodii observationum medicinalium centuria. Batav. 1557. conf. Vict. Schneider de catarrhis. Witteb. 1661. Lib. 3. cap. V. p. 530.

(37) Georg. Horstii observat. medicin. sing. Lib. III. p.

disseruerunt. *Bontius* (38) phthisin pulmonalem simul cum tracheali pertractat, quod satis manifeste ex iis elucet verbis: „jam diu aegrotus saniem magna quantitate exspuerat, et longo tempore antea sputa sanguinea ejecerat, unde hujus miseri mali initium, quo etiam extreme extenuatus, obiit.“ — *Benneti* (39) aegrotus, qui post tussim vehementem tracheae membranam, ut opinabatur, ejicit, quae postea vero regenerata est, forsan angina membranacea laboravit, sed nihil est, quod omne dubium repelleret, quamquam *Sprengel* (40) arbitratur: prima anginae membr. vestigia, quae fide aliqua ostendi queant, apud eum exstare. *Tulpii* (41) vero sartor, qui per tussim vehementem pluria albae, crassae ac glabrae membranae fragmenta, nec dolore nec magna respirationis difficultate affectus, emoverat, certe angina nostra laboravit, quod *Michaëli* (42) autore, jam supra commemoravi. *Home* et *Crawford* dubitant, quin *Ettmüller* (43) anginam nostram observarit, quod peculiaris vocis stri-

---

134. — conf. Goelis l. c. 158: nec unum anginae polyposae symptoma invenio.

(38) Jacob. Bontius de medic. Indor. Lugd. Batav. 1642. Lib. IV. Observ. 2.

(39) Christ. Bennet theatrum tabidorum. Lond. 1656. pag. 55.

(40) C. Sprengel l. c. Tom. V. pag. 534.

(41) Nic. Tulpius, observat. medic. Amstelod. 1762 Cap. IX. pag. 294.

(42) Michaëlis l. c. pag. 300: Ad nostrum morbum eam morbi historiam referre, etiamsi tam breviter ralata sit, eo minus dubitavi, cum inter catarrhalia initia concretio membranacea ejecta, et vox quoque praeternaturali ratione mutata fuerit.

(43) Ettmüller opera medica, Venet. 1695. Tom. I. pag. 114.

doris nulla mentio facta sit; contra *Albers* (44) censet, observatam quidem esse ab illo anginam membranaceam, sed catarrho suffocativo commutatam fuisse.

Ex quo tempore morbus noster sensim saepius observatus et clarioribus verbis descriptus est. *Harris* (45) anno 1691 de angina membranacea disseruit; anno 1735 *Struvius* (46) anginam nostram, in puero chronice decurrentem, depinxit. Deinde anno 1744 *Starrius* (47) eam epidemice in Cornwallis grassantem observavit, sub morbi strangulatorii nomine publice juris fecit et primus omnium pseudomembranas depinxit. Anno 1747 *Arnault de Nobleville* (48) epidemiam Aurelianensem et anno 1749 *Ghise* (49) Cremonensem optime descripserunt. Anno 1755 *Martin* (50) et *de Gorter* (51) de ea disseruerunt, et *Russel* (52), *Albersio* (53) autore, eam cum scar-

---

(44) Albers adnotat ad Home. pag. 3.

(45) Harris, Gründlicher Bericht von den schnellen und gefährlichsten Krankheiten junger Kinder. Frankf. u. Leipz. 1691. pag. 58 — 60. — Tractatus de morbis acutis infantium. Genev. 1727. pag. 10.

(46) Struve in act. nat. curios. Vol. I. et in novis act. vol. II. observatio 41.

(47) Starr. Philosoph. Transact. Nr. 495.

(48) Arnault de Nobleville. Hist. de l'académ. roy. des sc. de Paris 1747. pag. 524. Leipziger Comment. Bd. II. p. 618.

(49) Ghise. Lettere mediche Cremon. 1749. nr. 2. p. 9. Michaëlis l. c. pag. 272.

(50) Martin vid. Wilkii dissert.

(51) de Gorter. Prax. medic. systema. Frankf. 1755. Tom. II, pag. 31. Nr. V.

(52) Russel, de oeconomia naturae in morb. glandul. Lpz. 1750. pag. 70.

(53) Albers adnotat. ad Home. pag. 3.

latina maligna conjunctam observavit. Annis 1761 et 1762 *Halenius* (54) anginae membranaceae epidemiam Uplandiae observavit, cujus observata *Wilke* (55) in dissertatione sua inaugurali in lucem protulit. Eodem tempore de *Bergen* (56) morbum nostrum descripsit epidemicum, qui Francofurti ad Moenum grassatus fuerat; proximo anno *Home* (57) librum in lucem prodidit, qui sectionibus praesertim morbi naturam explanavit medendique naturam fusius meliusque, quam ceteri scriptores exposuit. Anno 1771 *Crawfordii* liber, jam supra commemoratus, multa utilia continens, erroribus tamen non carens, typis vulgatus est et nova editio libri *Rosenii* ab *Rosenstein* (58) de infantium morbis prodidit, qui quidem nil novi, nisi tres observationes a medico Sueco *Schultz* relatas, et nonnullas ex *Homii* et *Wilkii* scriptis desumtas, continet, attamen vero non parvi momenti est, quia et medicorum Suecorum et aliarum gentium animos ad nostrum morbum, cujus antea minus innotuerat fama, attendit. —

Deinde plures Angliae, Succiae, Daniae et Americae septentrionalis medici in anginae membranaceae natura

(54) Halenius, Fortsaetning of Beraettelser. Stockh. 1765. pag. 147.

(55) Wilke, dissert. de angin. infant. in patria recentioribus annis observata. Upsal. 1764.

(56) de Bergen de morb. trunculento infant. hoc anno hic Frankfti grassante. Nov. Act. Nat. Cur. 1761. Tom. II. p. 157.

(57) Home an Inquiry into the nature, cause and cure of the Croup. Edinbg. 1765. Uebersetzt von Mohr mit Vorrede und Anmerkungen von Albers. Bremen 1809.

(58) Rosen von Rosenstein, Anweisung zur Kenntnifs und Kur der Kinderkrankheiten aus dem Schwedischen von Murray. Goettingen und Gotha 1774. Seit. 595.

indaganda, sunt secuti, inter quos disquisitionibus suis prae ceteris eminent: *Ligertwood, Grant, Buchan, Johnstone, Cullen, Dixon, Disney, Field, Yelloly, Rumsey, Ferriar, Cheyne, Anderson, Salomon et Baeck, Bayley, Barrowe, Archer.* —

Nec minorem laudem Germaniae medici in morbo nostro perscrutando meruerunt. *Zobel* (59), *Lentin* (60), *Girtanner* (61), *Vogel* (62) egregie de eo disputabant, sed omnium princeps *Michaëlis*, qui anginae membranaceae historiam conscripsit, naturam hujus morbi, accuratissime indagatam, rite constituit, certis limitibus ab illis affinibus morbis disjunxit, curationem denique, e causa proxima morbi ipsius depromptam, proposuit, atque instituit. Primis saeculi currentis decenniis multi ad morbum nostrum dilucidandum contulerunt, sed in primis *Hufeland, Jahn, Albers* (63) *Reil, Autenrieth, Henke, Sachse* (64), *Goelis* (65).

---

(59) Zobel apud Michael. pag. 258, describit anginae membranaceae epidemiam, quae anno 1775 in civitate et agro Werthheimiensi grassata, multas sobole privavit familias.

(60) Lentin, Beobachtungen der epidemischen und einiger sporadischen Krankheiten am Oberharze etc. Leipz. und Dessau 1783. — Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft. Leipz. 1797. pag. 337. — Hufeland's Journal B. II. St. 2. Seite 172 u. B. IX. St. 2. Seite 96.

(61) Girtanner, Abhandlungen über die Krankheiten der Kinder. Berl. 1794.

(62) Vogel, Handb. der pract. Arzneiwissenschaft. Stendal 1795. Th. IV. pag. 118.

(63) Albers, de tracheitide infantum, vulgo Croup vocata, commentatio. Lips. 1816.

(64) Sachse, das Wissenswürdigste über die häutige Bräune. Lübeck 1810. Theil II. Hannov. 1812.

(65) Goelis, Tractatus de rite cognoscenda et sananda angina membranacea. Vindob. 1813.

Restat, ut commemorem, quae Franco-Galliae medicorum scripta exstant. Duae anginae membranaceae epochae discerni debent, quarum prima ab anno 1783 inchoatur, quo societas medicorum Parisiensis quaestionem illam: „si la maladie connue en Ecosse et en Suéde sous le nom de Croup, au angine membraneuse, existe en France?“ solvendam dedit; altera ab anno 1807, quo, *Napoleonis* imperatoris jussu, praemium ei propositum fuerat, qui optimam monographiam scripserit.

Vieusseux (66), societatis medicae, *Albers* (67), et *Jürine* (68) Napoleonis praemium tulerunt. Praeterea vero ad anginae nostrae dilucidationem multa iis temporibus contulerunt: *Chambon, Regnault, Reauchene, Macartan, Portal, Des Essartz, Caron, Ruette, Caillau, Valentin, Royer-Collard, Lapomeray* cet.

Nostris temporibus denique *Desruelles* (69), *Blaud* (70), *Guibert* (71), *Bretonneau* (72), *Bricheteau* (73), *Engelhard* (74) aliique complures felici cum successu hunc

---

(66) Vieusseux, Corvisart Journal de méd. T. 12. pag. 422. — Sammlung auserlesener Abhandl. B. 24. pag. 153—179.

(67) Albers l. c.

(68) Jürine, Abhandlung über den Croup. Leipz. 1816.

(69) Desruelles, Traité théorique et pratique du Croup. Paris 1821.

(70) Blaud nouvelles recherches sur la laryngo-trachéite, connue sous le nom de Croup. Paris 1824. Deutsch von Dr. A. Clemens. Frankf. a. M. 1826.

(71) Guibert, Journal compliment. du dictionnaire des sciences médicales 1824.

(72) Bretonneau de la diphtherite cet. Paris 1826.

(73) Bricheteau, precis analytique du Croup 1826.

(74) Engelhard, der Croup in dreifacher Form. Zürich 1828.

morbum descripserunt, iisque magna ex parte optimas hujus morbi monographias debemus.

AETIOLOGIA.

Angina membranacea infantibus, atque maxime illa quidem cuique minimo imminet. Haud multa quidem exempla exstant, infantes unius anni minus ab ea oppressos esse, quod vero haud dubium matris curae tribuendum est, quae omnia externa pericula, quantum fieri potuerit, prohibuit. In re generali *Sachsii* tabulae (75) sententiam nostram veram esse testantur, nam inter primum et secundum aetatis annum eo morbo correpti quadraginta quinque, inter octavum et nonum vero quinque commemorati sunt. Praedispositio quidem anno primo praeterlapso jam minor facta est, atque vero eo magis infantes, adhuc teneres, qui nocenti externo influxu parvas tantummodo vires opponere possunt, iis sese offerunt. Inter parietes retineri non possunt, foras sese ejiciunt, tumultuantur, magnum clamorem edunt, citato cursu calefiunt, nimis nudantur, subito frigore laeduntur. Quod vero sanguis infantibus majori vi in caput movetur, quam majoribus natu, quod organa respirationis non omnino conformata sunt, quod in infantibus vi plastica maxima naturae agitatio apparet, quod praeterea, *Stollio* autore (76), intestinorum et glandularum meseraicarum obstructiones, sicutis crophulae, magnam respirationis organorum sensibilitatem reddunt, quo modo catarrhi

---

(75) Sachs, l. c. pag. 177.

(76) Stoll, ratio medendi. Viennae 1777—89. Tom. III. pag. 42.

ac tussis ortum fovent, nobis mirandum videri non potest, infantes nudo collo et pectore circumvagantes, tracheae laryngisque inflammatione exsudatoria affici. — Pueros magis puellis ad morbum nostrum esse proclives, ex observato constat; tabulis enim *Jurinei* edocemur, quantitatem puerorum, hoc malo detentorum, ad illam puellarum in eadem relatione ac numeri 54: 37 esse. Non crediderim, majorem, quam quae sit puellarum, praedispositionem puerorum ex tracheae tunicae mucosae organisatione dependere, sed illam potius rem caussam hujus eventus duxerim, quod plus temporis inter parietes, quam soliti sint pueri, versentur puellae, neque in indomitis puerorum ludis exerceantur. — Haud minoris momenti est, quae nostris temporibus solita est, educatio, qua usus nimis definitus carnium, vini, aromatum, potionis spirituosae, infantibus non raro conceditur; hoc enim juvat plethoritatem, immaturam vegetationis incitationem, nisum ad lymphae coagulabilis exsudationem, et ad inflammationem internam. — Obvenit saepissime hic morbus regnante Borea aspero, qui saepius humido calidoque Euro alternat; autumno, hieme ac vere occurrit angina nostra in regionibus humidis paludosisque, in urbibus ad maris aut magnorum fluminum litora sitis, ut fere endemice regnet. Saepius anginá membranacea conjuncta cum aliis inflammationibus prope ad membranam laryngeam observata est. Amygdalitis, pharyngitis, bronchitis saepius per propagationem ad finitimam tunicam mucosam illius vim vitalem augent, atque, ut ipsa facilius sentiat vim nocentem rerum externarum, efficiunt. Quare aut statim post aut simul cum aliis anginarum generibus, cum pneumonia, gastritide,

catarrho pulmonum, cum morbillis, variolis, scarlatina et aliis acutis exanthematibus angina membranacea saepius invenitur. Deinde anginam nostram excitant vaporum irritantium inhalatio, exanthematum retropulsio, intensus et assiduus clamor, cursus contra ventum, sed prae ceteris nimis subita refrigeratio. Coeli temperatura nimium frigus, nimis subita commutatio dum corpus aestuat, sudor suppressus per denudatum caput, collum et pectus, vel aquae frigidae potus, multaeve aliae tales res saepissime hunc morbum procreant. *Cheyne* (77) et *Buchan* (78) praeterea morbum Croup morbis hereditariis adnumerant, quam vero sententiam experientia nullo modo confirmavit. *Rosenius* (79), *Goelis* (80) aliique putant, anginam membranaceam esse morbum contagiosum; quod quidem etiam negarim atque hac ex re eorum sententiam putarim esse profectam, quod causae praedisponentes et occasionales aequo modo in multos, et inprimis in consanguineos vim nocentem exerceant.

MORBI SYMPTOMATA.

Angina membranacea nonnunquam subito incedit, saepius vero plures per dies prodromos praemittens, qui

(77) Cheyne, Harless und Ritter neues Journ. der ausl. med. Litt. Bd. VI. St. I. pag. 122.

(78) Medicine domestic, or treatrise on the prevention and cure of deseases by W. Buchan. the fifth edit. pag. 606.

(79) Rosenius l. c. pag. 67—69. anginam membr. contagiosam appellat, secutus morborum historias Wilkii, Schultzii, Homii aliorumque, qui tamen ipsi contagii mentionem nullam fecerunt. Itaque videtur haec Rosenii ideae confusione nostrae cum angina gangraenosa provenisse.

(80) Goelis l. c. pag. 76.

sunt: aegritudinis sensatio, rerum indifferentia, lassitudo, morositas, capitis tumulentia, inappetentia, somnus irrequietus, coryza, raucedo, tussis, serius ad vesperam levis febricula, sensim obrepit, donec illa tussis peculiaris, raucedo aucta, respiratio sibilans, verum morbum significant. Quum vero infantes, ut saepissime fit, non solum magna cupiditate edant, et ludicra exercitatione delectentur, et quia illa respiratio sibilans ac tussis, nisi risu fletuque excitantur, cessant, parentes, proh dolor, haec omnia omittunt, donec subito horis pomeridianis seu vespertinis tussis sicca et rara, sed insolita, latratui junioris caniculae aut voci gallinae junioris pipantis analoga recedit. Aegroti deinde de dolore obtuso in trachea, vel potius de constrictionis sensu conqueruntur, respiratio magis sibilans redditur. Infantes e lecto excitantur, seu a ludicris exercitationibus sese removent, facies intense rubet, oculi protrusi, lacrymis humectantes, fulgent, capitis et colli arteriae intumescunt, pulsus est celer ac durus. Sed quarta seu dimidia horae parte praeterlapsa, infantes denuo dormiunt seu ludunt, ut sanos haberemus, nisi pulsus frequentia, dolor in laryngis attactu, tussis rauca et respiratio difficilis contradicerent. Mox vero suffocationis accessus saepius et majori cum vi redeunt; quo diutius infantes dormiunt, eo clarius et frequentius respirant, donec suffocationis accessus cum renovata vehementia iterum recurrunt et infantes e somno excitant. Singulas per horas nunc tussis magis magisque latratui junioris caniculae seu sono galli glocientis, suas femellas convocantis, similis fit; primum massae aquosae seu mucosae, sanguine striatae, deinde vero canaliculi tubuliformes exspuuntur, qui modo agroti dolo-

rem minuunt, modo immotum relinquunt. Capite retrocurvato respirant, respiratio clarior, difficilior et maxime sibilans redditur, trachea promovetur, intumescit, in ejus attactu aut inter tussim de dolore pungenti aegroti conqueruntur; febris increscit, oculi splendent, facies et manus urunt, et quamquam lingua humida, vix tamen sitis sedanda est, et tali vehementia potum devorant, ut saepius per nares rejiciatur; at interdum ob suffocationis metum eum aversantur. Pulsus adeo citati ac irregulares fiunt, ut deinde enumerari nequeant, et tam parvi, ut digito tangi non possint. Anxietate maxime cruciati continuo in lecto sese jactitant, celeriter eum effugiunt, manibus in capillos, frigido sudore madentes, dentibus in manus saeviunt, linguam summa cum vi e cavo oris protrahunt, circumstantes arripiunt, clamantes et lamentantes eos parvis viribus tenent, quasi ab iis levationem petentes; manus versus collum tollunt, quasi respirationis obstaculum quod amovere cupientes, donec fatigati, pallentes, lividi, cum oculis semiclausis in lectum recidunt et dormire videntur. Vix autem hac ex re nova a circumstantibus spe capta, aegroti iterato accessu excitantur, cor tremit, carotides et arteriae temporales vehementer pulsant, oculi vasa sanguine tument, diaphragma spasmis convulsivis movetur, dum pectus quietum videtur, in quolibet respirandi facto periculo musculi abdominales, cartilaginei costarum ultimarum fines, cartilago xyphoidea ossis sterni tam profunde retrahuntur, ut dorsum attingere videantur; nares ample hiant. Facies plumbi colorem praebet, oculi cavi, limosi, vitrei redduntur, et coeruleo halone circumdantur; vox fere exstincta, inspirationem pipantem sequitur exspiratio an-

helosa, spiratio stertorosa fit. Integra mente nunc aegroti omnia medicamina, quae antea aversati erant, arripiunt et devorant; aetate provectiores sacchari partes, panis crustas et pluria alia non sine labore glutiunt, respirationis obstaculum amovere cupientes; sed frustra: modo moriuntur spastici modo apoplectici, modo suffocativi, modo tussis ac respiratio sibilans omnino recedunt, pulsus debilis paulatim redditur, thorax vix movetur, carotides tremunt, candelae instar, cui detractum est, quo alatur, semel adhuc spirant, et in perpetuum exspirant.

DECURSUS ET EXITUS MORBI.

Decursus anginae membranaceae varius esse solet. Modo haec angina tam acute decurrit, ut aegroti jam inter septimam et inter quintam decimam morbi horam, ut *Engstroem*, *Baeck* et *Salamon*, *Albers*, *Sachse*, *Leeson* (81) observarunt, moriantur, modo tam chronice, ut *Albersio* autore (82) per tres, *Michaëli* (83) autore, minori natu, per quatuor hebdomades duret; more vero infantes inter secundam et septimam diem ab ea opprimuntur.

Ut alii morbi, hic quoque aut in sanitatem, aut in morbum secundarium aut in mortem terminatur. Aegroti auxilio in tempore adhibito, modo prima die, modo post hebdomades, modo non minus subito, quam morbus exortus erat, saepius eo ipso tempore, quo mors certa imminere videbatur, reconvalescunt. Plerumque

---

(81) Leeson in Kühns phys. med. Journ. 1801. p. 801.

(82) Albers, Hannöversches Magazin 1805. pag. 293.

(83) Michaëlis der Jüngere in Hufelands Journ. Junius 1808. p. 44.

vero reconvalescentiae symptomata critica quaedam praecedunt, ut pseudomembranarum aut muci inspissati ejectio, salivatio, larga narium blennorrhoea, sudor universalis, copiosus, urina largior, turbida, mucosum sedimentum deponens, epistaxis, exanthema ad collum cum aliorum symptomatum remissione conjunctum (84). Interdum aegroti, *Sachsio* autore (85), sine pseudomembranarum ejectione convalescunt, (at non in integrum restituuntur), quia membranae partim paulatim resolvuntur, partim in animatas mutantur, quae quidem tracheam coërcent, respirationem sibilosam et asthma perpetuum efficiunt, at quibus aegrotus sensim assuescit.

Morbo feliciter convicto saepe mali effectus remanent et tales sunt: catarrhus pertinax, raucedo, vox debilis vel vera aphonia, magna tracheae ad spasmos proclivitas, febris hectica, lenta, phthisis trachealis, asthma acutum seu chronicum, induratio, suppuratio laryngis.

Denique mors adducitur diversis ex causis, quarum prima spiritus interclusus (suffocatio) est, qui efficitur eo, quod pseudomembranae tracheam explent, aut quod partes illius membranae contra glottidis rimam se jacent, et respirationem impediunt, aut quod rima glottidis inflammatur vel spasmis contrahitur, aut quod epiglottis concrescit, aut quod materiae lymphaticae exsudatae mimia copia in bronchiorum tenuissimis ramulis accumulatur. Altera causa est virium exhaustio ex febris vehementia, ex magno respirationis labore et ex repre-

---

(84) Hopf. J. W., Abhandlung über den Croup, dessen Natur und sicherste Heilmethode. Hanau 1808 pag. 49.

(85) Sachs l. c. pag. 123.

henso aëris ad vitam necessarii adfluxu. Modo apoplexia, modo spasmi convulsionesque, modo denique morbi secundarii, ut pristina suppuratio et induratio laryngis tracheaeque, inflammatio et suppuratio pulmonum, chronicae tracheae constrictiones, polypi in magnis vasis, mortis causae esse possunt.

CADAVERIS DISSECTIO; NATURA ET DOTES PSEUDOMEMBRANAE.

Extinctorum aspectus saepe suffocatorum et strangulatorum similis est; oculi enim protrusi, sanguine turgescentes, colli et temporum arteriae tumentes, facies coloris bruneo-rubri. Dissectis cadaveribus more inflammationis signa conspiciuntur in viis aëriferis; interdum vero inflammationis signa cerni non possunt, qua quidem re minime apparet, anginam membranaceam non esse morbum inflammatorium, nam catarrhalia ejus initia, febris, quae plerumque primo jam initio adest, dolor tracheae, aliquanto satis insignis, summa methodi antiphlogisticae utilitas, et evidentia tandem in plurimis cadaveribus inflammationis signa naturam inflammatoriam satis probant.

Maximi momenti est pseudomembrana, quae aut laryngem et superiorem arteriae asperae partem occupat, aut ad infimos usque bronchiorum ramulos extenditur, quam ob rem ea de re uberius disseram.

Pseudomembrana modo laryngem, modo arteriam asperam, modo bronchiorum ramulos, modo has partes omnes simul occupat; interdum vero etiam fauces. *Home*(86)

---

(86) Home l. c. pag. 608.

eam ipsam pseudomembranam in oesophago et *Portal* (87) in ventriculo invenerunt.

Crassitudo hujus membranae varia est; modo vulgaris nostrae chartae modo pennae caulis crassitudinem habet, interdum vero etiam tam crassa est, ut omnis arteria aspera obstruatur, et aëris transitus prohibeatur. Plurimi observantium pseudomembranam spissae pituitae, haud raro vero cuti molli similem ducebant. *Nobleville* (88) pseudomembranam siccam, similem membranae pergamenae et *Bard* (89) molli corio vitulino similem videbant. Sedes membranae magnam vim aut in majorem aut in minorem soliditatem habet; in bronchiis aut membranosa aut pulposa est. *Home* in larynge pulposam, in trachea membranosam vidit. *Rumsey* (90) observavit, membranam in superiori tracheae parte minus consistentem, quam in inferiori esse.

Eodem modo varia est pseudomembranae forma. Autores quidem fere omnes consentiunt, hanc membranam arteriae asperae bronchiorumque formam aequare, saepius tamen membrana vel globosa vel pulposa inveniebatur forma. Raro vero fiat, ut ex hac membrana valvulae, ut *Vogel* (91) ait, formentur, per quas exspiratio non prohibeatur, spiratio vero plane supprimatur.

Quam sunt varia sedes, crassitudo et forma hujus

---

(87) Portal, mémoires sur le nature et le traitement des plusiers maladies. Paris 1808. Vol. III. pag. 267.

(88) Nobleville l. c. pag. 524.

(89) Bard in: Richters chirurgische Bibliothek. Bd. 5. p. 743.

(90) Rumsey, Journal der ausl. medic. Litteratur. Bd. I, St. 1. pag. 170.

(91) Vogel, l. c. Tom. IV. pag. 120.

membranae, tam diversus est color. Videmus hanc membranam modo albeam, modo albam, non pellucidam et non splendidam, modo externam superficiem sanguine maculatam, modo fuscam, modo subrubram, modo viridem, modo aliis coloribus mixtam, ut flavo-albam vel cinereo-albam, cet.

Plerumque pseudomembrana non firme adhaeret tracheae tunicae mucosae, sed materia mucosa sejuncta est. Tamen multi observaverunt, pseudomembranam tam firme junctam fuisse tracheae, ut nonnisi acuto cultro divelli potuisset. Nunquam vero vasorum sanguineorum in pseudomembranam transitus observatus est.

Nec in frigida nec in fervida aqua pseudomembrana solvi potest (92), in spiritu vini 90° vero, autore *Hopf* (93) sedimentum floccosum considit; in fervida aqua kaligera membrana omnis solvitur. In cinere pseudomembranae inveniuntur soda et calx phosphorica. Analysis chemica partes pseudomembranam constituentes has detexit: ammonium cum oleo animali empyreumatico, aliquid hydrogenii carbonatici, in quo adhuc pauxillum olei empyreumatici solutum est, carbonem residuum splendentem, nigrum, constantem ex muriate calcis, carbonate calcis, oxydo ferri, pauco magnesii oxydo, parva terrae (ut habetur siliceae) quantitate.

DIAGNOSIS.

Signa quidem ita pathognomonica, qualia sunt tussis peculiaris, latratui junioris caniculae aut sono gallinae

(92) Home l. c. pag. 24.

(93) Hopf, über den Kroup u. s. w. Hanau 1808. pag. 12 et 13.

raucae similis, vox stridula, clangosa, respiratio stridens, difficilis; membranarum per os ejectio, symptomatum remissiones, insultus suffocativi, suffocatio ipsa, angina membranacea praebet, ut, omnibus symptomatibus (quamvis licet nonnulla eorum interdum desiderentur) totoque morbi decursu accurate perpensis, fieri vix unquam possit, ut eam cum alio quodam morbo confundas. Nihilominus tamen peritissimi illi quidem medici eam cum aliis morbis et prae ceteris cum asthmate *Millari* confuderunt, quae confusio in curam summi momenti est, quia vita et mors a diagnosi dependent. — Quapropter, quae inter anginam membranaceam et asthma *Millari* intersunt, breviter exponemus.

Asthma Millari est morbus nervosus, infebrilis, in perfectas symptomatum intermissiones et paroxysmos divisus, qui maxima ex parte sporadice, nunquam epidemice grassatur, nec contagio latius propagatur. Subito oriens praecipue tempore nocturno invadit, atque infantes debiles, irritabiles, nervosos, verminosos, qui optime valentes, quieti sese dederant, saepius puellas quam pueros, corripit. — Angina membranacea contra morbus inflammatorius, nullas perfectas intermissiones facit, symptomata morbi nervosi nonnisi in ultimo stadio apparent. Plerumque epidemice, quum adest constitutio inflammatoria et catarrhosa, occurrit, et infantes vivaces, robustiores, plethoricos aggreditur; fere semper stadium catarrhale cum symptomatibus topicis junctum, praecedit. — Asthmate Millari affecti nunquam de dolore in trachea conqueruntur, sed suffocatione invasi querelas edunt in pectore de constrictionis sensu, qui ei similis est, quem fumus sulphuraceus et aeneus excitat. Tussis plerum-

que nulla, quae tamen si adest latratui canis magni senio confecti analoga, raucedine et siccitate assidua notata est. Tum autem vox profunda, rauca et aspera; pulsus valde variabilis, modo celer, modo tardus, modo spastice contractus, modo plenus et durus esse solet. Aegroti, ut respirent, liceat erecti sedent. — Contrarium in angina membranacea observamus. Dolor fixus in trachea, tussis peculiaris et membranarum ejectione conjuncta, vox stridens et acuta, respiratio in qualibet positione libera et pulsus morbi stadiis respondens, satis bene hunc ab illo morbo distinguunt. — Denique asthma Millari designant, urina copiosa, aquosa, pallida (ut dicunt), spastica, coenaesthesis exaltata et maestitia, quae et extra paroxysmum durant, ructus et sternutamentum sublevans, facies pallens, pupilla dilatata, calor fere naturalis, extremitates frigidae, inflammationis et transsudationis signorum absentia. In angina membranacea urina est rubra, inflammatoria, infantes extra paroxysmum plerumque hilares sunt, et ludicra exercitatione delectantur, genae rubent, oculi splendent, calor auctus est, atque cadaveris dissectio laryngis tracheaeque inflammationem docet.

PROGNOSIS.

Angina membranacea morbus periculosissimus, plerumque acutissimus est. Quamquam vera mortalitatis pro aegrorum numero proportio in hoc morbo determinari haud facile potest, quia major minorque mortalitas a corregnante constitutione annua, a recta perversave medendi methodo, ab auxilio prompto nimisve retardato dependet, inter omnes constat, plus dimidia parte infan-

tium, ab ea correptorum succubuisse. Aegrotus quisque minimus maximo cum periculo ceteris paribus decumbit; pueri majori cum vi, quam puellae, robusti ac bene nutriti infantes majori quam teneres ac debiles ab ea corripiuntur. Gravior est morbus, si subito incedit, acutissimeque sine remissionibus decurrit, si statim ab initio morbi vox ac tussis croupialis, si respiratio difficilis et saepius iterantes suffocationis accessus adsunt. In regionibus septentrionalibus plures, quam in regionibus ad meridiem, verno tempore, perfrigida hieme praegressa, plures, quam tempore autumnali ea opprimuntur. Gravior est morbus aliis cum inflammationibus aut aliis morbis complicatus, eoque periculosior, quo diutius jam duravit, nam in primo stadio (stadio prodromorum) facillime, in secundo (stadio inflammatorio), in tertio (stadio transsudationis lymphae coagulabilis) difficile, nunquam vero sanatur in quarto, (stadio suffocationis). — Mali ominis sunt: tussis crebra, rauca, sicca, spasmis seu convulsionibus conjuncta, loquela, potu, fletu et aliis incitationibus externis facillime excitanda, spiratio sibilosa, lymphae transsudatione effecta, sputa multo sanguine mixta, dolor in trachea, rara membranarum tenacium ejectio, devoratio impedita, anxietas et inquietudo increscens, facies rubescens, simul cum pulsu debili, molli, celerrimo, intermittente; diarrhoea valida, aquosa, urina tenuis et quasi spastica, oculi collapsi, respiratio brevis, celer, anhelosa, abdominalis, extremitatum frigus, sudores et in pectore et in capite copiosi, topici, frigidi. — Spem vero inferunt transsudatione jam facta sonus peculiaris, inter respirationem strepens, qui pseudomembranarum solutionem indicat; pseudomembranae per vo-

mitum ejectae, non vero devoratae, sudor universalis, sub stadii inflammatorii finem sanguinis profluxus et inprimis epistaxis, remissiones suffocationis symptomatum, pulsus elevatus, tussis rarior, somnus quietus cum respiratione liberiori, urina ad stadii secundi finem tertiive initium turbida, mucosa, albidum sedimentum deponens, sub mercurialium usu alvus copiosa, muco viridi mixta, ceteris symptomatibus morbosis remittentibus. Denique commemorandum est, morbi remissionibus non esse fidendum, quod jam ex iis, quae de symptomatibus protuli, tam perspicue elucet, ut plura omittam.

V I T A.

Ego *Carolus Leopoldus Wipprecht*, Weissenseae, Thuringiae oppido, natus pridie Nonas Apriles a. MDCCCXII, patre *Immanuelo Guilelmo*, et matre *Henrietta*, e gente *Reisigia*, quibus carissimis, adhuc superstitibus gaudeo, confessioni evangelicae addictus sum.

Primis litterarum rudimentis domi et in schola publica patriae urbis instructus, Gymnasium Roslebianum, quod sub Rectore, Cel. *Wilhelm* floruit, adii, ibique sex per annos in litteras incubui. Maturitatis testimonio dimissus ineunte vere a MDCCCXXXI Jenam me contuli, ubi ab Ill. Prof. *de Schroeder*, t. t. Prorectore, universitatis Jenensis civibus adscriptus sum. Hasce scholas ibidem

unum per annum frequentavi: Ill. *Reinhold* psychologiam et logicen; Ill. *Zenker* botanicen et demonstrationes botanicas cum excursionibus; Ill. *Theile* anthropologiam; Ill. *Fries* physicen; Ill. *Huschke* anatomiam sani corporis humani.

Jena Wuerzeburgum profectus sum, ubi unum per annum felicissimam vitam egi. Ab Ill. *Schoen,* t. t. Rectore Magnifico, inter cives academicos receptus, hisce interfui praelectionibus: Ill. *Friedreich* physiologiae, pathologiae et therapiae generali morborum et somaticorum et psychicorum; Ill. *d'Outrepont* arti obstetriciae theoreticae et practicae, et exercitationibus in hysteroplasmatibus; Ill. *Muenz* anatomiae comparatae, anatomiae sani corporis humani, nec minus vir ille egregius exercitationes meas anatomico practicas moderatus est.

Ineunte vere a. MDCCCXXXIII Berolinum profectus sum, ibique a Rectore Magnifico Ill. *Weiſs* in universitatis civium academicorum numerum, et a Decano spectatissimo Ill. *Osann* in album ordinis medici inscriptus, hasce praelectiones adii: Ill. *Lichtenstein* zoologiam; Ill. *Mitscherlich* chemiam experimentalem; Ill. *Osann* materiam medicam; Ill. *Horn* pathologiam specialem; Ill. *Hecker* therapiam specialem; Ill. *Rust* chirurgiam universalem et specialem; Cel. *Casper* infantium morbos, Ill. *Mueller* cerebri et organorum sensuum anatomiam. Exercitationum clinicarum duces fuero mihi: medicarum Ill. *Bartels*, Cel. *Truestedt*, Cel. *Wolff*, chirurgicarum Ill. *Rust*, obstetriciarum Ill. *Busch.* — Praeterea per annum in exercitu regio, Cel. *Schilling* duce, medici centuriati munere functus sum. — Omnibus, quos dixi, viris illustrissimis, de me valde meritis, summas gratias ago, me-

moriamque eorum pio gratoque animo semper semperque servabo.

Jam vero tentaminibus philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES.

1. Est contagio per sanos.
2. Venenum absolutum existit.
3. In omni morbo typus cognosci potest.
4. Inter amputationis contraindicationes non referenda est febris hectica.